

plerumque edocuit quatas turbaciones. dissensiones. iras
 rixas: oblocutiones: et odia suscitauerint in cōgregacōni
 bus monachoz. visitatores imperiti: quibus de imperio
 totū: de scientia et charitate nihil constat. Sed de hoc
 satis dixerim: ne accusare videar eos quos honore pro
 sequi ppter officij dignitatem iubemur.

Quā periculosum sit regimen animarum

Cap. xi.

Si consideremus quā periculosa res sit regi
 men animarū: quā graue onus cure pastoralis:
 quā districto examini obnoxium: mirū si vnus in
 hac vita cor nostrū de securitate psumeret. Dicit em̄ scri
 ptura: quoniam iudiciū durissimū fiet in eos qui presunt.
 Nam sicut beatus benedictus prestat in regula p ani
 mabus omnium monachorum sibi commissorum abbas deo
 redditurus est rationē. Idcirco dicit. Ordinatus abbas
 cogitet semp quale onus suscepit: et cui redditurus est ra
 tionē villicacōnis sue. Onus certe et graue et periculosū
 p animabus multorum rationē reddere: cū vix vnusquisque
 p semetipso valeat respondere. Quod respondebūt summo
 pastori abbates terrenis dediti: quā aīas fratrum suorum ma
 lo exemplo perimūt: et nec verbo nec ope pascūt. Quid
 dicā de quibusdā nri ordinis abbatibus: qui regulam
 sancti benedicti quā pfitentur: nec legūt: nec si legāt intel
 ligūt. Videntur si non noui abbates sub nro caplo cō
 stitutos: qui tantis ignorantie tenebris inuoluti sunt: vt
 minimā sententiā ex regula nō intelligāt. Diuinas scrip
 turas nec sciūt nec diligūt: vanitatibus mundi submersi eua
 nescūt: desiderijs carnis nō spiritus inseruiūt. Oportet
 abbatem iuxta pceptum legislatoris nostri doctum esse
 lege diuina: vt sciat et sit vnde proferat noua et vetera:
 castum: sobrium: misericordem: et cetera. Quid isti dis
 cent: quid docebūt. quid exhortabūtur. quā nihil de scrip
 turis sanctis. de regulari disciplina nihil intelligunt.